

Q. F. F. S.
DISPUTATIO MEDICA,
DE

MORSURA
SERPENTUM,

QUAM,

INDULTU NOB. ATQUE EXPER. ORD. MED.
IN SUPREMO AD SALAM LYCÆO,

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI NEC NON EXPERIENTISSIMI
**D:NI DOCT. CAROLI
LINNÆI,**

EQUIT. AURAT. DE STELLA POLARI, S:Æ
R:Æ M:TIS ARCHIATRI, MEDIC. ET BOTAN.
PROF. REG. ET ORD. ACAD. SCIENT. UPSALIENS.
HOLMIENS. PETROP. BEROL. IMP. NAT. CUR. LOND.

MONSPEL. TOLOS. ET FLORENT. SOCHI,

PUBLICE VENTILANDAM EXHIBET,
STIPENDIARIUS REGIUS,

JOH. GUSTAVUS ACRELL,

*Regiæ Academiæ Scientiarum Adscriptus,
HOLMIENSIS.*

IN AUD. CAR. MAJ. AD D. XVI. JUNII, MDCCCLXII.
Horis Ante Meridiem Consuetis.

UPPSALIAE.

S:Æ R:Æ M:TIS
SUMMÆ FIDEI VIR,
REGIS REGNIQUE SVECIÆ
SENATOR,

REGIÆ CANCELLARIÆ PRÆSES,
ACADEMIÆ UPSALIENSIS CANCELLARIE,
REGG. ORDD. EQUES AC COMMENDATOR,
PERILLUSTRIS, CELSISSIME ATQUE
EXCELLENTISSIME
BARO AC DOMINE

DOM. ANDREA
JOHANNES
e
VON HÖPKEN,
MÆCENAS MAXIME.

Quod si florentissimo Romæ seculo non indi-
gnum fuerit, neque ingratum, sœpe suas
volucres legere, quæque necet serpens, quæ juvet her-
ba, ut de Macro Poëta clarissimo, Auctor est O.
vidius:

vidius: idque vel coram summo Augusto Cæsare,
ac ipso, qui tanto Principi & nominis gloria & li-
terarum studio proximus fuit, Mæcenate, quod ex
eorum temporum monumentis novimus; forte nec
mihimet vitio verteris, saltim ne vertas, supplex
voveo, Mæcenas Excellentissime, quod exiguum
hanc de serpentum Moratu scriptionem Celsissimo
Nomini Tuo consecrare ausim. In ea enim, sin-
gulari fatorum beneficio, incidimus felicissima Pa-
triæ tempora, quibus, una cum literarum studiis
tantum non omnibus, Naturalis quoque scientia
non viget modo & efflorescit indies, sed &, quod
non sine summo devotissimæ venerationis ac læti-
tiæ sensu comperimus, vel ab Augustissimis Regni
Principibus, atque qui ab his sunt secundi, prin-
cipibus patriæ Viris totidemque Mæcenatibus, co-
litur, fovetur & ornatur. Tuum vero, Mæcenas
Excellentissime, summum in scientias omnes & di-
vinum prorsus studium, Tuamque in hos, qui li-
teras profitentur gratiam, universæ Patriæ celebra-
tissimam, quod tantillo præcone non egeant,
quamvis mirari potius & devenerari conveniat,
quam infirma oratione enarrare: non potui tamen,
quin inde animum sumerem, maxime cum ad has
curas Academicas Te demittere non molestum du-
xeris. Accedit argumentum aliud, utut exspecta-
tioni omni mea longe superius, tamen mirifice al-
lectans, quod ex indiciis singularis Tuæ in Patru-
um benevolentia, Te, Mæcenas Excellentissime,
illius subinde meminisse haud obscure intellexerim.
Hæc licet omnia digne prædicari, nec ausim, neque
sustin eam, tantum tamen tribuas pietati in Te meæ,

hu-

millimus oro, ut cum gratiam Tuam summam animo devotissimo mecum reproto, supplex significem quam enixe quamque sedulo expetam in exceptatissimam me Tuam commendatum iri clientelam: atque ea quidem commendatione, qua Tibi, Mæcenas Excellentissime, Numen propitium, salutem, valetudinem, fortunas, Familiam denique illustrissimam florentissimam ex animo adprecor, & nunquam non ero adprecaturus, donec vixero,

EXCELLENTISSIMI NOMINIS TUI

cliens subjectissimus
JOHANNES GUSTAVUS ACRELL.



INTRODUCTIO.



uocunque, in tribus illis Naturæ regnis occurrit, si quidem justa illud contemplamur attentione, aut sanitati vitæque inimicum, aut adminiculum quasi Machinæ nostræ comperiemus: esculentum hoc, illud vero venenum vario ex fine appella re moris est. Quemadmodum vero, ut est in proverbio, omne nimium vertitur in vitium, ita cibus quoque innocuus maxime ac saluberrimus in nocentissimum subinde venenum convertitur. Sic Vinum, Deorum Nectar, modice sumtum animum corpusque reficit, atque admodum naribus, syncope suffocatos ex orci faucibus revo cat; supra modum vero ingurgitatum, sua illud & nativa vi ex corpore ejicere acidissimo vomitu natura nititur, ne qualitate sua corrodente febrim excitet, unde præmaturas helluonum mortes crebris ac funestissimis exemplis conspicimus. E contrario vero, pessimis ex verenis,

A

nis,

nis, recta tamen ubique ratione exhibitis, parantur medicamina efficacissima: Sic nostros in usus varia ex Opio, Elaterio, Scammonio, Euphorbio, variaque *gii* præparata seruantur.

Venenum igitur, si definire liceat, est, quod per exigua dosi, corpori humano ingestum aut extus admotum, vi quadam peculiari, effectus producit violentissimos, qui in perniciem sanitatis & vitæ tendunt; sed essentialis differentia inter salubre & venenatum re ipsa non datur, cum sola copia saluberrimi evadat venenum.

Pro Regnum naturalium varietate, varie quoque differunt venena. ut in LAPIDEO: arsenicum, auripigmentum, pleraque metallorum preparata. In Regno VEGETABILI sunt in primis ordines naturales *Contortarum*: ut Asclepias, Cynanche; *Luridarum*: Hyoscyamus, Tabacum, Atropa, Datura; *Tricoccarum*: Euphorbium; *Multifiliuarum*: Helleborus, Nigella; *Umbellatarum* *Cicutarum*, Sium, Ethusa. In ANIMALI regno: Serpentes, Ranae, Bufones, cœtera ut taceam.

His nunc pro instituti ratione breviter & generatim commemoratis, ad illorum porro animantium, quæ diversis laedendi instrumentis armata singula, externo inflitu, mordendo pungendove vulnerant, venena consideranda devolvimur.

Stupendam sane admiramur illorum armorum in-dolem, quam in sui tutelam summi Conditoris sapientiae acceptam referunt animalia tantum non omnia, venenata vero ista præcipue. Horum enim nonnulla dentium morfu sauciant, ex. gr. Vespertilioes & Sorices; vulnerat pinna sua anteriorei dorsali Trachinus Draco: Medusæ variæ urticarum instar urunt. Omnium vero maxime in admirationem nos rapiunt tela illa immani viru venenata, quæ aut in insectorum caudis fixa sunt; ex. gr. Scorpionum, Sphegum, Apum, quæque nobis hoc loco sal-tum

tim nominasse sufficiat; aut intra labia serpentum posita;
quibus in depingendis, nostra jam qualiscunque versa-
bitur opera.

AMPHIBIA.

Toti fere humano generi ceterisque animanti-
bus, *serpentes*, ob venenum atque proprietates nescio
quas singulares, quae omnem eludant ingenii aciem, hor-
rendi obveniunt, ut vel audacissimo cuivis inopinato ob-
repentes terrorem injicient. De peculiari ista horum a-
nimantium natura nonnulla praemittimus. In *amphibiorum*
classe animalia obveniunt, singulari prorsus & ab
aliis diversa qualitate instructa: eorum enim plurima &
in Terra vivunt & in Aqua; plurimaque dimidio anno
Hybernant morte quasi sopita; *Respiratio* horum ab Avium
& Mammalium multum differt, spiritum enim inspirant,
sine reciproco, saltim non sensibili, exspiratione. Cor-
pora habent natura rigida, *sanguine* frigido scatent; *Pene*
geminò gaudent, cujusmodi nulli quod sciamus animan-
tium alii, nisi forte in se tis quibusdam obtigit. *Sono* rau-
co, *adspicere* foedo, *odore* foetido sensibus nostris obveni-
unt. Eorum alii ovipari, vivipari alii, atque, *Cancro-*
rūm instar, ob ossa *cartilaginea* vernali tempore quotannis
senectam exuunt, quemadmodum nulla ipsis certa cre-
scendi meta & magnitudo est definita. Maxime quoque
memoratu digna est singularis eorum *prædandi* ratio: nam,
quod destituti pedibus prædam cursu sectari nequeant,
saxorum sub umbra arborumve radicibus latitant, unde
irruptione facta in prætereuntia animalia subito insiliunt,
capta devorant. Hunc in modum serpentum maximus
Boas constrictor in frutetis occulta insidiari, & in lepores,
cervos, aliaque animantia insilire, ac convolvendo suf-
focare, atque saliva tandem oblita ingurgitare, ex pere-
grinantium per Indiam fide perhibetur. His vero quum
prædam rarius captare eveniat, & dentibus deinsuper

obtusis molaribus proprie dictis destituantur, ipsos naturæ Author instruxit maxillis non per ginglymum articulatis, sed solis ligamentis basi connexis, quo expansis faucibus, corpus ipsis faucibus duplo subinde ac pluries crassius devorare queant. Sic Cleijero teste, Boas Javanensis integrum deglutiit Bubalum: aliique Peregrinatores commemorant, quod eadem Boas cervum devoraverit, ita ut propendentia extra os cornua insigne præbuerint spectaculum.

Quin etiam abdomine tumido sæpius *Colubri Beri* nostri occurunt, quum facta dissectione aut ranam, aut murem, aut quos ipsi vidimus VII aviculae pullos nondum digestos, devorasse reperiuntur.

Restat adhuc aliud vix dum satis explicandum naturæ phænomenon nostratum qui in Philadelphia diu vixeret, fide dignissimorum relationibus confirmatum, sed quod Autopticorum peritorum experimentis ulterius omnino est discutiendum. *Crotalum* loquor Americanum serpentem segnissimum, qui arborum sub tegmine recubans, rictu non nihil hiante atque radiantibus oculis, occursantes forte in arbore aves sciurosque miro fascino subitus intuetur. Queribundus sciurus atque tenui ac flebili sono ejulans, quasi fati gnarus, e ramo in ramum subsultat, quaqua versum prospiciens quo subito evadat; At fascino nescio quo defixus, ad inferiora descendit arboris, unde recta desiliens, hostis se faucibus ultro committit; Veritatem hujus rei indubiam reddere videntur observationes quorundam Anglorum, hujus argumenti: Curiosi isti observatores Angli, murem una cum fascinante ejusmodi vipera caudisona in ferream Caveam includebant, cuius uno in angulo sedebat mus, in altero vero e regione serpens; Hic, qui in illum continuo oculos habuit defixos, solo illum intuitu eo adegit, ut totum se tandem serpentis in fauces conjecerit. Idem experimentum

Ita-

Itali instituere imprimis cum foemina Colubri Beriuterum gerente & Mure Musculo, eodem plane cum successu. Quid? quod idem fere apud *Bufones* nostros lentulos, serpentum ad fines, aestivo tempore spectare liceat, quibus, dum in fruticum umbra quiescunt, Muscae Papilio-nesque in os involitant.

TEL A SERPENTUM.

Nulla fere res in philosophia pluribus controversiis vexata est, quam Serpentum venenum, in quo consistat, quid sit, quomodo operetur & diros suos effectus producat. Illas inter de venenato serpentum adparatu, antiquioris ævi conjecturas, ad quas utut absurdissimas tam ad saxum tanquam adhæsit rudis plebecula, jure recensentur sequentes; quod puta, telum venificum *caudæ* adfixum esse crediderint nonnulli; quodque proinde telum serpentum caudis adpingunt subinde pictores nungivenduli; alii nigræ bifurcatæque *linguae*, quam ad utrumque sèpissime latus serpens ventilat, hanc nocendi vim vindicare satagunt; Plurimi tandem qui sapientiores haberi gestiunt, ipsi hanc *dentium* morsui noxam vano commento adserunt. Hæc quæ jam recensuimus omnia in mera abeunt errorum monstra, ac vel quotidianæ saltim curatiōri repugnant experienzia. Intra labia serpentis venenati, maxillæ superiori extus arctius adfixum hæret, quod ultiro citoque movet, ossiculum, cui binæ aut ternæ adfixæ sunt cuspides, dentibus reliquis maiores, quas, eundem fere in modum ac ungues felis, serpens motas pro lubitu ossiculi ope, vel protendit iratus, vel feriatus a morsu retrahit & recondit. Has cuspides, quas Dentes maiores serpentum vulgus vocat, egregie descripsit *Tyson. Act. Angl. p. 144.* in Anatome Crotali: in bise foramen satis amplum prope radicem observavimus, & prope mucronem fissuram longiusculam clare conspicuam, calami scriptorii crenæ instar sectam; pars autem den-

dentis a fissura ad radicem manifeste canaliculata erat; quod gingivam leniter premendo primum comperimus, tum enim venenum per cavum dentis prompte ascendere & e fissura effluere conspeximus; Cumque dentes huiusmodi acuti sint, ac prope apicem firmi & solidi, fissura etiam externa & convexa parte, non interna, exarata, quid convenientius potuit excogitari, tum ad vulnus infligendum, tum ad venenum infundendum? Folliculo, glandulis humorem quandam secerentibus instruto, cuspidum unaquaque est circumdata, adeo ut impressa vesicula, ex ipso quasi mucrone liquor profluere videatur. Iratus serpens, caput sursum extollens, ossiculum, cuius supra meminimus, acubus armatum extendit; atque sic facto impetu, tum ipsius corporis mole proclinatus & incumbens, tum musculorum quoque vi actus, acubus istis hunc in usum explicatis ferit & sauciatus, subsequente e vestigio veneno, quod ex folliculo expressum in vulnus influit. Rem ita comparatam esse, experientia constat eorum, qui dum cuspides illas aculeatas forcipe effringunt, inermem serpentem manu tractant incolumes. Cum vero iisdem hisce cuspidibus venenatissimi Crotali probe detersis cutem ad sanguinis usque profluvium scarificare soleant, coetera indemnes Americani Boreales, liquet egregie falli eos, qui armis istis summe innoxiiis funestam illam proprietatem adtribuunt.

VIRUS.

De lacerandi modo apud serpentes haec tenus egimus. Nunc de ipsa veneni origine & natura non nulla subjiciemus. Ex atra bile iram accendi pristini ævi fuit commentum, omni veritatis specie destitutum; quod tamen huc trahere non dubitarunt. Etenim ex ista sua, si Diis placet, hypothesi irati serpentis virus elicere satagunt; fingeant namque canalem, nescio quem, qui bilem ex sua vesica immediate ad os serpentis deduceret, unde bilis,

ictu

i^{ctu} facto, vulnus proliueret; atque exinde lethifera ista
 symptomata esse derivanda. Sed missis antiquiorum so-
 mniis, quæ interdiu ac longe veriora detexerunt recep-
 tiones naturæ pulsatores seduli, age despiciamus. Sub
 finem superioris seculi, quo artibus una cum cœteris sci-
 entia quoque medica, male hactenus habita, in insolitam
 prorsus lucem eveneretur, dispersis, quæ occupa-
 runt omnia, conjectarum tenebris; etiam hæc nostra
 serpentum cognitio, multum fuit luminis fœnerata, fa-
 ciem præferente Magno Eturia Duce FERDINANDO
 SECUNDO. Etenim, ut abstrusum istud ac tantum non
 impervium serpentum mysterium pernosceret Princeps,
 de re litteraria immortaliter meritus, summos istius ævi
 Naturalis scientiæ heroes Stenonem, Redi &c. su-
 am ad aulam advocavit, qui recluderent. Itaque
 a congestis venenatissimis Viperis, quas ad Theriacam
 conficiendam per fascinum captivas adferunt, summo stu-
 dio experimenta cepit Redi, quibus experimentis varia
 detexit incognita, atque inter hæc sequentia maxime me-
 moratu digna. Dum aut viventem Viperam in Canem
 excitaret, aut aculeis recens demortuæ, integra huc dum
 vesicula venenata, cani vulnus infligeret, res eodem re-
 dibat. Repetitus aliquoties morsus infirmior redditur
 ac vim tandem nocivam penitus amittit, exhausto, scili-
 cet quod in vesicula continetur, veneno. Explicatos ser-
 pentis aculeos liquore quodam madere; atque ex vesicula
 ad basin mucronis impressa guttulam saniei stillare. Dum
 virus hoc ex vesicula profluens pane molli vel spongia
 exciperetur, non aliud aut gravius ex serpentis i^{ctu} per-
 sentiit damnum animal, quam si acu pungeretur, donec
 diebus interpositis aliquot, novum proveniret Virus.
 At dum acu pungebatur animal veneno isto infecta, di-
 cis cruciabatur doloribus, perinde ac si ipsius viperæ acu-
 leis fuisset proscissum. Venenum istud in Vitro adser-
 yatum

vatum & ad solem exsiccatum, dum aqua rursus dilueret, atque in dilutum acus intingeret, quibus animalia compunxit Redi nuper laudatus, eundem prorsus ex soluto hoc veneno effectum, ac ex recentissimo quovis, enasci non sine summa admiratione comperit. Omnia vero maxime istius temporis naturae peritos in stuporem dedit viperarum fascinoris cujusdam Tozzi ausus; qui (dum forte incidissent praesente Principe eruditissimam sermonem de certissimo prorsus vita periculo, quod eum maneret, qui virtus istud Spiritus Vini vel aquae loco ebibebret), suæ arti confisus non exiguum istiusmodi veneniportionem intrepidus exhaustus. Obstupere quasi ad portentum omnes, atque presentissimam hominis mortem praestolabantur, qui tamen haud aliter ac si meram aquam combiberat evasit incolus. Sed quod magis mirari convenit, est quod eventus iste, cuius percellabantur novitate Princeps ejusque naturalis scientiae consortes, dum antea ac vel ipsis veteribus innotuit. Documentum hujus rei satis memorabile apud Lucanum obvenit *Libr. IX. v. 614.*

*Noxia serpentum est aamisto sanguine pestis,
Morsu virus babent, & fatum dente minantur
Pocula morte carent.*

Neque prætereundum externam istam veneni nocendivm nationibus barbaris & nunc & olim fuisse perspectam, quippe quæ sagittas suas in venena varii generis, qualia sunt, succus Euphorbii, caro putrida, oleum Tabaci, imprimis vero in viperarum sanie, & intinxerunt quondam atque etiam nunc intingunt, non sine efficacia maxime horrenda. Faciunt id Indi hodierni, & fecerunt dudum antea Schytæ, de quibus testimonium sat memorabile exhibet Plinius. *Hist. Nat. Schytæ, ait, sagittas eingunt viperana sanie & humano sanguine, immedicabile illud scelus, mortem illico levi tactu adferentes.*

Sed

Sed redeo ad Florentinos istos, de quibus dicere
occepimus. Hi, ut ausum illum Tozzianum novis con-
firmarent experimentis, virus hujus aliquam collectam
copiam dedere alio atque alio modo, aliis atque aliis ani-
mantibus edendam, & quidem semper sine subseguente
periculo; ut primum vero extrinsecus vulneri admove-
retur virus, horrenda ea efficit symptomata omnia, quæ
ex ipso morsu enasci solent, unde inflammatorie mali-
gnæque febres atque letiferæ, nisi forte natura ipsa spon-
te sua hæmorrhagiis aliisve evacuationibus materiam pec-
cantem quandoque exturbasset. His experimentis eo de-
ventum est, ut majori longe cum certitudine hæc Natu-
ræ adyta eruditis penetrare contigerit.

Interea dum Redi cœterique in Etruria, naturæ
presse insistunt vestigiis atque experimentis rite faciun-
dis invigilant, indulgetur alibi congetturi. In Gallia pu-
ta ubi Moyses Charas, Chirurgus Regis primarius non in-
celebris, theoriam serpentum explicaturus magno moli-
mine contendit, venenum in excandescens spirituum
animalium consistere, atque proinde penes viperam non
esse lethaliter ut sauciatur, nisi antea iratam. Non quidem re-
fragabimur adfectus animi gignere quidpiam posse vene-
no haud absimile: testatur hoc facies irati hominis muta in
subluridam. Quid? quod subitaneo terrore perculsi, sæpenu-
mero pallescant, atque humores eorum in tubo intestinali,
tanquam fortiori draſtico per Diarrhœam cholera adſo-
ciata non dispellantur. Maxime vero suo hoc Nutrices con-
firmant exemplo, quarum, dum iratae infantulis præbent
ubera, venenatum lac, Diarrhœam provocat, lactenti-
bus haud raro funestam. Sed utcumque hæc sint, parum
tamen in his opinioni Charanae esse præsidii eo confiden-
tius pronunciamus, quo certius constat, hiulcam istam
de Spiritibus animalibus, eorumque excandescens do-
ctrinam, ut commodum olim ignorantiae Asylum, ita
nunc fere in desuetudinem abiisse. B Mis-

Missis igitur Charanis istis hypothesibus, nostram
qualemcunque sententiam aperire nunc forte haud abs re-
erit. Et licet in re tantæ obscuritatis, ubi vix ultra hypo-
theses progredi liceat, facilius sit aliorum placita infringe-
re, quam adornare sua; tamen cum aliquid dicendum
sit, utut rem totam non exhaustiet, præstiterit multo o-
pinamur amplexari ea, quæ maxima veritatis specie se-
commendaverint; sicubi cum iis aptius conciliari possunt
quæ certior svaserit experientia. Hoc animo exponemus
in sequentibus ea, quæ nobis aliud conjectandi ansam
subministrarunt. Superiori seculo, ut adsvetos evitarent
Mæandros Angli in primis Medici ac novam pariter in a-
ctione medicamentorum invenirent viam, siuum ne ro-
bur amitterent, atque per vias χυλοπομπas mutarentur,
Medicinam vel potius *Chirurgiam*, quam dictunt *infusori-
am* excogitarunt, atque omni animorum studio excolue-
runt. Consistit autem in eo hoc eorum inventum, quod
per incisam venam, medicata infusa injecerint; Multum
hanc suam artem venditarunt curiosi, quæ si non omni
subinde successu caruerit, tamen saepius summo agris fu-
it detimento: vel quod nova hastenus & inexplorata
Pharmaca adhibuerint, vel quod nova medicina non cau-
te satis usi putentur. Evidem non valde miratur, or-
tiorum infusionem distillatorum spirituum fuisse exitio-
sam, sed longe inexpectatius obveniat necesse est, quod
lac merum, in venas immisum, quamvis primum illud
sit hominis nutrimentum, mortem acceleraverit: cuius
aliam vix rei caussam adferre possumus quam proximam
illam, nullo interveniente intestinorum adminiculo, la-
ctis cum sanguine commixtionem, ceu quam natura be-
terogeneorum impatiens ægre sustinuit. Hæc si erudi-
tis ac æquis rerum cognitoribus sententia non displicue-
rit, nihil obstat quo minus analogon quidquam lactis in-
fusi cum serpentum sanie probabiliter credamus: saltim
aptio-

aptiora juxta ac veriora huc dum ignoramus. Suspicamur autem eundem in modum viperarum saniem vel quantilla portione vulneri admotam per venas absorberi ac cum sangvine commisceri, unde ex immediata ista commixtione, massa sangvinea quanta quanta est, tractim corrumpatur; nam sicut fermenti exigua particula, farinariam massam inficit totam, hujus vero fermentatae massæ portiuncula massam alteram, & sic in infinitum sere, nihil dum obliterit, quod vim & efficaciam fermenti impedit; ita quoque per vim naturæ multiplicativam, venenum cum sangvine coniunctum & propagari & ipsum corrumpere haud inepte existimetur. An vero hoc sit coagulando, corrodendo, vel modo quodam alio, nostrum non est definire. Memorabile certe experimentum describit *Ramus de quadr.* p. 317: Vir dum in Indiis esset indigenam quandam ad se & familiares aliquot, qui una erant, ingressum varia Serpentum genera secum attulisse, ut experimenta aliqua de eorum differentiis, veneni respectu, praesentibus ostenderet (quæ apud Indos vulgaris praxis est). Primum ergo serpente grandiore prolatto illum innocuum esse asseruit, & ut dictis fidem faceret, ligatura injecta ut vocant, brachio proprio constricto, quem admodum in venæ sectione fieri solet, nudam cutem serpentis, prius flagellato, ut ad mordendum invitaretur objecit; sanguinem e vulneribus, dentibus factis emanantem digitis collegit, & femori nudo imposuit, donec diuidium circiter cochlearis nactus esset. Deinde alium exceptit minorem, Cobras de capelo dictum (*Colubrum Najam*) de veneni ejus vehementia pluribus egit & ut experientorem comprobaret, cervice Serpentis arte constricta, liquoris in folliculis maxillaribus contenti circa dimidiam guttulam expressit, & sanguini coagulato supra femur imposuit, cui quamprimum admiseretur micram illico ebullitionem & effervescentiam excitavit fer-

menti modo agens, illumque in liquorem flavum immutavit; quodque admodum, quo venenum isthoc operatur discernendum, lucem foeneratur, & celebrem illam observationem confirmat, nimirum viperæ morsum Icterum inferre.

Quantum quidem nos perspicimus, hæc Hypothesis, cum experimentis supra memoratis Redianis, Tozzianis, ceterisque optime convenit. Et quidem ad Redi quod attinet, omnia ejus experimenta evincunt, humorem istum ex folliculo expressum, qui serpentum humectat cuspides, unicum esse venenum, quod punctim vel cæsim sanguini admixtum vim exferat. At venenum illud soli officere sanguini extrinsecus admotum ostendunt cum exempla Tozzi, qui virus istud sat large at incolumis tamen exhausit; tum experientia momenti non minoris, alia, quod animalia sagittis hac sanie infectis transfixa, haud aliter ac cibus quivis purissimus esui esse potuerint. Quæcum ita sint, nihil nobis relinquitur aliud, unde mirus hic explicetur naturæ eventus, quam immediata illa sanie viperinæ cum sanguine commixatio & forte fermentatio, ex qua pro summa viperarum diversitate, diversa quoque ac varia oriuntur symptomata necesse est; cuius tamen, quod ingenue fatemur specialioris diversitatis rationes reddere non possumus nemet, & a nobis ne extorqueant alii, jure aliquo nostro contendere posse videmur.

PUNCTURÆ SYMPTOMATA.

Restat igitur, ut notabiliores has serpentum varietates generatim carptimque recenseamus.

BERI nostri ictum comitari solent sequentia symptomata: Dolor vulneratae corporis partis, perinde ac si acubus pungeretur continue; accedit Tumor, Pallor, Nictatio, Lachrimæ, Horrores cum frigore, Pulsus debilis, ac subinde inæqualis, Sitis, Lipyria, Sudor fri-

frigidus, Lumbago, Tormina, cum Vomitu Diarrhoea,
Asthma, Anxietates, Sopor, Convulsiones, quarum est
mors ultima linea rerum.

HÆMORRHOUS nobis ignotus, ita Lucano de-
scribitur, ut peracto morsu, ex poris per universam cu-
tem singulis, sanguinis profluat.

DIPSAS, cum praecedente nos fugiens, at ab eo-
dem *Lueano Libr. IX. de bello Pharsalico* descriptus, dum
fauciaavit, sitim accedit inextinguibilem. Digna sunt,
quæ hic adponantur ipsius Lucani verba, ubi A. Tuscum
Catonis signiferum hujus serpentis veneno percitum,
graphice depingit:

*Non Decus imperii non mæsti jura Catonis
Ardentem tenuere virum, quin spargere signa
Auderet, totisque furens exquireret agris
Quas poscebat aquas, sitiens in corde venenum.*

Et paucis interjectis:

*Scrutatur venis penitus squalentis arenæ,
Nunc redit ad Syrtes & fluctus accipit ore,
Aquoreasque placet, sed non sibi sufficit humor,
Nec senti fatique genus, mortemque veniri,
Sed putat esse sitim, ferroque aperire tumentes
Sustinuit venas, atque os implere cruore.*

ASPIS in veterum monumentis, triplicis generis oc-
currit;

i. *Phtyas* fronte caruncula callosa, colore cinereo
viridi-splendente.

II. *Chersea* longissima, cinereo viridis, oculis
rubris.

III. *Chelidonia nigra*, ventre albo, cuius morsum
singultus bini vel terni, cum mutatione coloris, Stu-
pore, Frigore, Somno, & Palpitatione sequi perhibetur.
Inter has Alpides nominatim Phtyam esse, quæ per so-
porem aut lethargum occidit, ex collatione scriptorum
facile

facile in animum induxerim: atque sic eandem esse cum Aspide veterum, speciatim sic dicta, quæ Bel-lon. Itin. p. 203. Nintipolonga Zeylanica. Raj. anim. p. 332, & in Systema Nat. 216, N:o 173. *Amodytes* vocatur. Hujus quoque Aspidis (Phtyxæ) veneno usa videtur Cleopatra Ægyptiorum Regina; etenim, ut ex fide scriptorum habemus, quo vitam mollem & delicatam morte, sicuti sors tulerit, mitiori finiret fœmina effeminatissima, injunxit Medicis, ut toxicum miscerent absque mortis sensu mortiferum. Hi igitur tentatis saepius in capitibus damnatos venenis variis, inciderunt tandem in Aspidem, cuius morsus sine ullo morbo prævio aut singultu cum molli tantummodo vultus sudore, sensuumque hebetudine ac somnolentia, mortem accelerat, internecionis propemodum ignaris. Hujus ergo veneni Reginam certiorem fecerunt, quæ aut ipsi Aspidi pectus vel brachium vulnerandum exhibuit aut, quod malunt alii, in pharmacum vipereum, quod in hos usus tantisper adservarat, acum comtoriam intinxit, cuius ex punctione, veterno quasi sopita occubuit. ven-natos plurimos Colubros, præter plerosque, si non omnes Crotalos, enumerat Systema Naturæ; quales sunt:

| | | | |
|-----------|-----------|----------|------------|
| Vipera | Atropos | Leberis | Ammodytes |
| Berus | Chersea | Prester | Aspis |
| Lebetinus | Severus | Stolatus | Laetus |
| Naja | Atrox | Niveus | Corallinus |
| Dipsas | Mycteznas | | |

NAJA homines suo iætu adeo vehementer corripit, ut intra horulæ spatum decadant: atque hac quidem ratione, ut ex ossibus divellatur caro in lentorem putridum tota liquefcens, quam ob causam hic fortassis serpens pro eodem ac Sepe veterum haud immerito habeatur. Plures nunc commemorare non attinet, quamvis sint eorum perplurimi qui pro specierum summa varietate, sympto-

ptomata quoque diversissima efficiunt; at ita tamen di-versa, ut in communissimo eo omnes amice serpentes conveniant, quod non nisi vi externa, mordendo, pungendo, aut qua demumcunque ratione alia sanies extrinsecus in sanguinem immitti possit, laedant ac trucent; restat jam igitur ut ad medicamentorum contra hoc virus considerationem descendamus.

MEDELA.

Charta nos prius deficeret, ac in immensum ex-cresceret opus, quam numerum inire, aut rationem queramus eorum omnium, quibus ad tanta propulsanda pericula unquam usi perhibentur, necessitate magistra, mortales miseri. Præcipua tantum & quæ aliquo se commendarunt usu, breviter percensebimus. Eminet hæc inter cum antiquitatis gloria, tum efficaciam virtute, quam præsentissime fieri potest veneni per locum contagii eductio. Variis hæc modis fuit pertentata; quorum antiquissimus juxta ac simplicissimus ille est, dum labris hominum, dirum ex vulnere venenum exsugitur. Probe est observandum oportere, fugitorem ejusmodi instructum esse gingiva a scorbuto immuni ac quavis ratione illæsa, ne idem incurrat periculum, idque eo gravius, quo est vitæ sedi proprius. Ut igitur res & naufragia & discriminis plenissima evitetur, præstabit potius scalpello vulnus scarificare, quo sic ex apertis venarum ostioliis contaminatus sanguis satis effluat; adfigitur deinceps super vulneratae & scarificatae corporis parti magna validaque Cucurbita, cuius ope quidquid veneni reliquum fuerit, commodius extrahatur. Tum demum calida fomenta & emollientia cum spirituosis, ut spiritus salis Armoniaci vel Theriacalis, aut hi, si forte non suppetant, Lixivio communi & aceto mixta, ad membrum vulneratum adplicantur. Intus medicamenta diapnoica & morientia emolumento esse possunt; emetica loquor cita ex-

gr..

gr. Tartarus emeticus, Ipecacuanha, &c. Sudorifera fortissima interdum quoque felici cum successu propinuantur. At vero ad frangendas vehementissimi hujus veneni vires, tria antidotorum genera, eaque ut putatur, efficacissima nostra addidit ætas, quorum sua ostentat Europa, Asia & America singula.

Apud Europæos *olei olivarum*, vel Olei cuiusvis expressi, usus est fortissimus. Propinatur autem o' eum illud majori copia ac ad semilibram interdum & amplius, ebibendum, dum simul læsa pars hoc eodem oleo saepius & copiosissime perungitur. De hoc ipso medicamento, non minus ac de felici ejus esse tu, consuli postunt *Acta Anglicana p. 443. Act. paris. 1737.* Quamvis vero fide horum, aliorumque, suam vim oleis expressis tantum absit, ut denegemus, ut potius contra Beri & Presteris mortuum facile valentissimam credamus; tamen, si dicendum quod res est, plurima in hoc forte antidoto nondum sati habemus comperta & explorata: unde de ejus usu sigillatum & omnibus absolutam numeris sententiam ferre non audemus. Inopinatum prorsus hujus rei exemplum expertus est, mibiique exposuit Nob. D. Praeses, cui per Scaniam proficisci obvenit mulier, colubri Cherasce mortuam sauciata: huic licet Oleum illud Olivarum ad præscriptam formulam propinarit Nob. D. Archiater, nihil tamen minus accidit, ut e vivis miserrime decederet. An igitur contra omnes serpentes Europæos non valeat oleum istud? An vero prater præscriptam formulam quidquam ulterius sit observandum sive illud ipsum Antidotum sive Ægrum concernat, aliorum experientiae committimus, & quam diligentissime commendamus.

Progradimur igitur ad antidota Americana, quorum excellentissimum jure habeatur Radix *Senegæ* ad pulvrem redactæ. Innotuit, a multis retro temporibus, hujus usus radicis Americanis sylvestribus Borealibus, qui

qui ejus beneficio illatam a Crotalo noxam ad miraculum usque profligarunt. Sed tanto hoc arcanum suum custodierunt silentio, Barbari pervicaces & invidi, ut ne auro quidem ejus potuerit obtineri cognitio: usque dum illud feliciter detexit Tennentius atque in humani generis solatium divulgavit. Docuit insuper omni laude dignissimus Tennentius, Radicem Polygalæ Senegæ hac sua nunquam virtute destitui, nisi pertusa forte vena quædam majori, ubi crescentis subito veneni violentiæ prævenire non poterit, de quo videlicet Diss. de radice Senega in Amœn. Acad. v. 2. Unicum tantummodo hujus antidoti exemplum domesticum referre novimus, satis vero illud memorabile. Accidit ante hoc deceñnum in prædio suburbano, haud procul Upsalia, ut Ancilla, dum alvi purgandi ergo pone frutices secesserat, a serpente quodam petteretur, & quidem ipsis muliebris vulneratis; Gravissima hunc iactum secuta sunt symptomata, cruciatus horrendi, ceu quæ segnes medicos & lenta non expetebant remedia. Ad Nob. D. Præsidem mittitur, qui duas, quas solas habuit, Senegæ doses remisit, opportune adeo, ut intra biduum ægra pene convalesceret. Optandum foret, igitur, ut exturbatis minutis aliis, in quibus nihil vel parum certe opis est, hoc tam illustre medicamentum in officinas nostras introducatur. Præter hanc radicem plura alia Americanorum commendantur medicamenta, ex. gr. *Eryngium fætidum*, *aquaticum*, *Veratrum luteum*, *Aletris farinosa*, *Uvularia perfoliata*, *Sanicula canadensis*, *Aristolochia serpentaria*; sed quæ missa facimus omnia, quod de iis certo minus nobis constet, cum sexcentis aliis.

Pervenimus sic ad aliud æque celebratum Africorum Antidotum, in India orientali facile antiquissimum. Est vero illud *Ophiorrhiza mungos*, cujus historiam, nec non divinum fere, contra ictus colubri *Najæ* usum, co-

Iubri loquor venenatissimi, luculenter tractavit in Amoenitat. Kämpferus. Nec multum in ejus adumbratione desudabimus, quod nobis in hac re otium fecit D:ni Adsestoris Darelii Dissertatio longe elegantissima. Hoc vero potius juvabit monuisse, quod, cum tanta sit hujus medicamenti efficacia, præstabit multo illud, ceu verum lignum colubrinum in locum Strychnos colubrini adsciscere, cuius, si non omnino nullus, saltim ambiguus usus cernitur.

Lapis Serpentum, Pedra de Cobras di capello, quasi Lapis desumptus e capite Colubri Najæ, famosus per totam Indiam, tanquam specificum contra Morsuram serpentum exclamatus a Garzia, Kirckero aliisque, fertur ad vulnus venenatum adplicatus, usque dum sponte inde decidat, absorbere omne venenum; sed ejus usus suspectus habetur aliis, nec Redo successit, qui plurima cum eodem instituit experimenta. Plurimi statuunt hunc lapidem esse artificialem, nec nisi mere Cornu cervi iustum.

EXCANTATIO.

OPHIOGENES fuisse quondam *Psylos* Libyæ & *Marsos* Italiae populos excantandis Colubris & medicandis Serpentum morsibus nobiles, testantur Ovidius, Plinius aliique veterum. Hi serpentes etiam venenatissimos innocue trahabant, dilaniabant, virusque eorum corporibus inflictum exfugendo medebantur; ejusmodi homines etiam hodie in Ægypto dari, artemque exercere nuper autoptes coram vidit Hasselq. itin. 70. Ars eorum etiamnum inter summum arcana alte sepulta est, quam nullo pretio revelant. Vulgus nostrum credidit ab antiquissimis temporibus, sputum hominis jejuni inspersum serpenti eum intra vesperam occidere, & Plinius salivam hominis serpentibus exitialem esse docuit, sed quod Vivera Mungos dimicatura cum Serpentibus masticare Rutam, quod certius est de *ophiorrhiza*. Amoen. Acad. 2. p. 100. an itaque masticata Ruta sputum in Serpentem cadens

cadens eum paralyticum reddat, ne se contrahat, & sic ad mordendum reddat impotentem. Certe D. D. Jacquin ex India occidentali redux artem excantandi serpentes sese auro redemisse, in literis ad D. Præsidem testatur, an hoc fiat masticando *Aristolochiam anguicidam* ejusdem, vel alia methodo nobis etiamnum latet, sed speravimus brevi hoc arcana cum communicaturum cum publico, D. D. Jacquin quod avide nobiscum omnes curiosi exoptant, & precibus efflagitant.

T A N T U M.



*Figura monstrat, cum maxillis calvariam Viperæ vulgaris
a latere:*

a tela venenifera: hæc mota fiunt ope paxilli ossi c, que connexus ossi b, infra ejus articulationem boc secum in productione & retractione aufert.

f ostendit maxillam inferiorem atque d, e, bina ipsius fulcræ, a quibus, varietas motus necessaria in deglutienda præda dependet.

CORRIGENDA.

| | | |
|---------|--------------------|---------------|
| Pag. 2. | l. 29. SoRices | lege Sorices. |
| 3. | l. 16. reciproco | reciproca. |
| | l. 29. capta | & capta. |
| 5. | l. 14. venificum | veneficum. |
| | l. 25. citoque | citroque. |
| 7. | l. 14. heroes | herões. |
| 9. | l. 23. muta | mutata. |
| 11. | l. 30. exper mento | experimento. |
| 13. | l. 21. senti | sentit. |
| 15. | l. 11. queramus | queamus. |